

& inæqualitatem, una complecti non potest. Quomodo igitur Christus, in quantum homo, vere assumptus est ad divinum honorem, qui in sessione est, cum ei tantum *bona paterna potiora* assignentur? Hæc, quæ dicuntur, bona potiora etiam ipsi conceduntur humanæ naturæ. Art. 3. Resp. ad dub. 3. *esse in equalitate Patris, non pertinet ad ipsam naturam humanam Christi, sed solum ad personam assumentem: sed esse IN POTIORIBUS BONIS DEI secundum quod, importat excessum aliarum creaturarum, etiam convenit IPSI NATURÆ ASSUMPTÆ.*

§. 42. Hactenus etiam simplicior fuerit Bellarmini explicatio ea, quam diversam, distinctamque, cogitur dare, & repetere semper, Thomas. Ille l. 3. Incarn. c. 15. §. Deinde idem. *Matth. 22. Christus attulit locum Psalm. 109. Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis: ad probandam divinitatem suam, & cum Patre veram equalitatem. Et hoc ipsum testimonium Psalmi a Paulo offertur ad probandam Christi divinitatem, Hebr. 1.* Ita ille simpliciter, de æqualitate vera cum Patre interpretatur. At Thomas art. 4. *Hebr. 1. a dextris meis, id est, in bonis potioribus meis, VEL, mihi secundum divinitatem equalis.* Et Opusculorum Vol. prior. p. 434. de symbolo Apostolorum, ubi simplicissimam, eamque juxta tenorem symboli, quod explicabat, tradere debebat interpretationem, hanc repetit: *in quantum Deus dicitur sedere ad dexteram Patris, id est, ad equalitatem Patris: in quantum homo sedet ad dexteram Patris, id est, in potioribus bonis.* Et in Comment. in Epist. ad Hebr. c. 1. *si referatur ad divinam naturam, est sensus, ad dexteram, id est, ad equalitatem Patris. Si vero ad humanam, est sensus, ad dexteram, id est, in potioribus bonis Patris.* Hæc vero rei, alioquin simplicis, divisio, & ambigua expositio fluctuansque, ipsa per se suspecta est. Agnoscis equalitatem significari; Agnoscis de humana natura scripturam loqui; hæc vero unire non placet tibi, hinc dividis, & æqualitatem ad deitatem refers, ut vero humanitas quid habeat, potiora illi bona conceduntur. Testimonium vero Psalm. 110. ita allegavit Christus, ut appellatione Domini Davidis urserit scribas. Ita vero ex sessione, divinitas vera sedentis Christi, probatur, quia ut homo, sedere non potuisset ad dextram Patris, nisi in unitate personæ Deus esset.